

Heinrich Rahn

**Rector Universitatis Rostochiensis, Henricus Rhane, I.U.D. & Profess. P. Ad
Exequias Quas Viro Iuveni ... Dn. Arnoldo Pungelio Lippia Westphalo, S. S. Th.
Studioso, & Candidato Philosophiae, Rev. & Cl. Dn. M. Christianus Michael,
hospes, cum Popularibus adornant; Cives suos in aedem D. Jacobi ... vocat**

Rostochi[i]: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn883850850>

Druck Freier  Zugang





LB FP Pungelius, Arnoldus 1638

II - 1561. 28.

RECTOR
Universitatis Rostochiensis,
HENRICVS RHANE,
J. U. D. & Profess. P.

AD EXEQUIAS

Quas

VIRO JUVENI
Praestantissimo Doctissimoq;

DN. ARNOLDO
PUNGELIO Lippia Westphalo,
S.S. Th. Studioſo, & Candidato
Philosophie, 68

Rev. & Cl. Dn. M. CHRISTIANUS MI-
CHAEL, hospes, cum Popularibus
adornant;

Cives suos in adem D. Jacobi ad dimidiatans meri-
dici secundam serio & diligenter vocat.



ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILI, Academ. Typogr.

Anno M. DC XXXIX.

15628

68
A

I ita nobiscum com-

paratum esset, ut mors non nisi
desidiā in literis atq; ineptitudi-
nem, quod maximē æquum vide-
tur, uelisci, aut quod salutare esset
Reipublicæ, malos vellet atque in
contagium pravaq; exempla natos, è medio tolle-
re; debuissemus fortè aliis hoc charitatis nostræ of-
ficiūm præstare. Nec inviti quidem, sed amore
communis faceremus boni. Sicuti enim nihil op-
tare licet magis quam ut multa claraq; hone-
stas inter cives regnet; ita, quamprimum aliquid
malè sanum ac putre membrum extiterit, debent
omnium vota ac preces esse, ut ne hominis iste
morbus aut diuturnus aut pestilens, socios appre-
hendere & proximis ante omnia vitiatis ad optimos
deinde velut gangræna serpere incipiat. Quo pa-
cto gratias D̄o agi convenit, si pravi ipse exempli
finem facere, nec accipi illud vel hærere in visceri-
bus Reipublicæ voluerit. Cæterum, si ARNOLDI
PÜNGELI Lippiæ Westphali, Studiosi SS. Theo-
logiæ,

logiæ, eruditionem, si pietatem moresque nobis-
cum recolimus, quod nobis ingenium ejus ac vir-
tus imponunt, non possumus non graviter incre-
pare mortis inclem tam, & condolere vicibus
nostris. Qui eum amissimus Academiæ civem, à
quo sperare multa, præclaraque omnia debuimus.
Quippe qui naturâ propenderet in artos, & id,
quod Philosophum in primis illustrat, à Patre Sta-
tuario consecutus esset. Cujus artis eadem ratio,
quæ picturæ & poëseos est; ut feliciter & eo pror-
sus modo concipientur in animo rerum ima-
gines, per quem repræsentari deinde quam opti-
mè ac genuinè possint. Eumque ho-
minem græci εὐφαντιόπην vocabant ab ea vi, quæ
absentiū est tām continens & accurata considera-
tio, veluti ante oculos & in conspectu essent. Ea
autem virtus in Patre excellens & rara, quamplu-
rimis præripere artis palmam, optimis etiam facere
ambiguam apud suos valebat. Inde in filium deri-
vata, meliori se usu ac studiis literarum probare in-
cepit. Erant enim ab ineunte adolescentis ætate
igniculi quidem non obscuri, & qui per literas au-
geri se, inflammarique vellent. Quapropter domi
primo & post immaturam parentis mortem, apud
Patruum suum JOHANNEM, Reverendi Ministe-
rii Lippiensis Seniorem, instar Filij educatus atque
institutus, Zusatum in Scholam transiit, porro se
atque ad majora paraturus. Quomodo impenderit

G 2 tempus,

tempus, trium Academiarum Professoribus abunde probavit. Marpurgi per annum, Rintelii similiiter, Philosophiam ita sectatus, ut jam conjungere Theologiam posset, Præsideque C L. Viro D. JOHANN E G I E S E N I O per quam doctè responderet, Ad nos postea ex mandato Patrui digressus, per sesquiannum liberaliter studuit. Idem enim sub Reverendo & CL. Viro Dr. D. JOHANN E C O T H M A N N O, SS. Th D. & P. Amico & Collega nostro charissimo ante quatuordecim dies Auditorio Majori publice & pari laude demonstravit; cum de *Providentia divina* Disputationem à se concinnatam satis pulchre defenderet. Tantum jam in Philosophia processum habens, ut summos in ea honores, proxima, quæ speratur solemnitate, petre simul & recte impetrare posset. Quem in finem de *Anima separata* Disputationem exhibuerat ei, qui jā Decani partes gerit, ut à quo relaturus esset dignitatem, eidem quam maxime approbaret virtutem suam. Eoq; specimine clarum fuit, quanta esset ingenii solertia, atq; acumine. Siquidem opinionibus duci solebat, & quod liberi hominis est, veritatem animose persequebatur. Postquam enim tot ab Aristotele seculis natura explorata & Chymicorum prodita officinis est, aliter quidem longè quam veteribus creditum, statui in multis oportet. Ideoq; ille comparando, quæ in singulis

lis observata nuper experiundo essent, de communib;
& quæ principia vocantur, modeste satis &
cum ratione dubitabat. Id quod arguebat paren-
tis illam vim, de qua supra diximus, in filio non
male transmissam esse. Usq; adeo firma satis atten-
taque ad res, quibus se dedidisset, phantasia erat;
quam in dies augebant sapientia mater dubitatio
æmulatioq; honestissima. Hæc est studiorum ra-
tio, cuius meliorem partem à superiore trigesimo
quarto seculi nostri anno in vita usq; clausulam
per Academias transfegit. Quo tempore duorum,
maximiè Patrii sc. sui benignitatem liberaliter ex-
pertus, ejusq; cum decumberet, dolere vicem soli-
tus est, qui sua quoq; causa non minimū doliturus
esset. Quod spes à se conceptas frustrari ac fallere
per fati inclemantium tam inopinato ipse deberet.
Alter veluti nutritius suus extitit Vir Reverend. &
Clarissimus Dn. M. C H R I S T I A N U S M I C H A E L
ad D. Jacobi apud nos Pastor, cuius liberis cum
præficeretur, ab eo tempore ita demereri benevo-
lentiam hospitis coepit, ut propria ei perpetuaque
in extremum vitæ spiritum fuerit. Cum enim
paucos ante dies non usquequaq; se bene haberet,
morbiq; latentis ignorantur vires, occurrit ul-
trò sollicitudo hospitis, auxitque ea cum valetu-
dine in dies. Quod peregrino homini ingens est
beneficium; apud quem res adversæ aduersa faci-

G 3

unc

unt omnia, soletq; ipsa commiserandi causa simul
miseriarum esse. Cæterum ille, qui mundanum se
esse ex professione Philosophiæ didicerat, per ho-
spitalitatem illam simul confirmabatur, ubiq; sibi,
quam primum convalesceret, per literatum studia
patriam fore. Quam apud nos jam quoq; iade-
pturus est. Qui enim sumti è terra factiq; sumus,
quocunq; loco in eam revertimur, patriam occu-
pamus, quia in matris gremium recipimus. Fiet id
hoc ipso die, qui tertius ab ejus *ebavacia*, virile ro-
bur ac *atatem*, quæ annus inchoat tricesimus, ipsi
prosperus invidit. Natus enim post natum **Salvator**
rem suum supra millesimum sexcentesimum an-
no nono in tricesimi octavi Majo, uti ante dixi-
mus, nuper rimè inter popularium amplexus defe-
cit. Tam pie placideq;, uti & vita ejus promitte-
re, & impetrare precibus debebat, quas ardentissi-
me dum lecto assigeretur, ad Deum & continentes
mittebat. Quantū n. annorum ab ultima fecit pu-
eritia, id omne destinavit pietati. Cujus, ubicunq;
fuit, testes, ultimo apud nos etiā locupletes habet.
Partibus n. suis diligenter & Christiane funetus est;
ut non modo in literis seriam ac moribus, sed in
pietate operam & præcipue collocaverit. Diversa
penitus vivendi ratione, quæ nunc inter studiolos
non tantum, quam Doctores obtinet; qui mini-
mum pietati, nonnulla literis atq; artibus, cætera,
quæ

quæ maximā utramq; paginam faciunt, simulta-
tibus, calumniis, odiisque tribuunt. Quibus ita
dementantur, ut per hæc funesta tempora, quæ
cuique ultimam afferre horam possunt, eludere e-
tiam oblatas reconciliandi rationes ac procul ha-
bere injuriū non vereantur. Neque tum mirum
est, si avertata eorum conatibus cœlestè Numē,
prosulsq; in sensum eos det reprobum, ut à Spiritu
S. cui tam pervicaciter obstant, destituti, ea quo-
que designent, quibus vix ipsi sibi placere possint.
Noster omnem ejusmodi pravitatem, cum primis
in tantu pulchro literarum ac sapientiæ negotio, de-
testatus, & studiorum incrementa à coelis quotidie
deducens, serio cauit, ne quicquam piaculi admie-
teret. Id quod efficiebat precibus, quibus se adver-
sus mundum & carnem communiebat. In quibus
auspicari diem ac condere, nontantum vitæ suæ,
sed mortis quoq; voluit. Cum suspiriis ad Christū
suum continentibus omniq; supplicio & depreca-
tione functus, nuper etiam à Salvatore suo, ante-
quam dederet per Rev. Dn. M. REMBERTUM
Sandhagen/ Eccles. Nicolaitanæ ministrum rite
pastus, paulo post desineret apud nos in terris esse.
Quod si ABRAHAM, & BARBARA Makenbrocks/
Parentes, in vivis adhuc & superstites, quemad-
modum Patruus, essent, tergeminus iste quidem
dolor foret. Nos autem in societatem ejus non
minus

minus recepti sumus. Qui amare tam bonas spes
& hoc duriusatum lugere similiter debemus. Hac
in primis tempestate, qua iacturam facimus ætatū
omnium. Decedunt senes, adolescentes deficiunt.
Sive quia mors rapiat, sive quod nulli, aut quam
rarissimi surrogentur. Et putamus, vineam Chri-
sti posthac non desertam fore? Agite ergo, Cives
Academie, & hoc vulnus, quod accrescentibus
studiis, inflicium est, ne despicite. Futurum alias
sit, ut vindex sui contentus, proximum quodq;
membrum arrepturus, poenam quoque coelestem
à vobis, quod Deus prohibeat, repetere velit.
Deprecamini ergo coeleste Numen, dum exc-
quias pii juvenis frequentes redditis, tantoq; cau-
tius vivite, quo minus promitti vobis crastinum
potest. Ego quidem præstituto tempore ad fu-
nerale domum præstolabor defuncti transporta-
tionem in dormitorium suum. Vos ipsi censete,
an æquum sit aut me viatorem hujus itionis, aut
hunc PÜNGELIUM, comitem quondam vestrum
ac commilitonem absq; comitatu dimittere eo,
quo omnes aliquando concessuri sumus.

P.P. XXIV, Maij A.C. 1589







quæ maximæ utramq; paginam faciunt
tibus, columnis, odiisque tribuunt.
dementantur, ut per hæc funesta tem-
cuique ultimam afferre horam possint
tiam oblatas reconciliandi rationes ac-
bere injurii non vereantur. Neque tu-
est, si avertat ab eorum conatibus coele-
prosuspisq; in sensum eos det reprobum, si
S. cui tam per vitaciter obstant, destitu-
que designent, quibus vix ipsi sibi place-
Noster omnem ejusmodi pravitatem, c
in tam pulebro literarum ac sapientiae ne-
testatus, & studiorum incrementa à coeli-
deducens, serio cavit, ne quicquam piaci-
veret. Id quod efficiebat precibus, quibus
suum mundum & carnem communiebat. I
auspicari diem ac condere, nontantum
sed mortis quoq; volvit. Cum suspiriis a-
suum continentibus omniq; supplicio &
tione functus, nuper etiam à Salvatore
quam decederet per Rev. Dn. M. REM
Sandhagen/ Eccl. Nicolaitanæ minist-
pastus, paulo post desineret apud nos in t
Quod si A B R A H A M, & B A R B A R A M a f e
Parentes, in vivis adhuc & superstites, c
modum Patruus, essent, tergeminus iste
dolor foret. Nos autem in societatem e




Image Engineering Scan Reference Chart TE33 Serial No.

120

the scale towards document